



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Patritius Donatus Episcopus olim Minoren[sis].

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

fanè in vniuersale Ecclesiæ Catholicæ bonum, & in Sanctitatis Vestræ gloriam sempiternam, honor huiusmodi in hunc Beatum collatus. Quibus ego permotus, in eam compellor ire sententiam, vt eum valde dignum existimem, quem Beatitudo Vestra Sanctis in Cœlo regnantibus adscribat, colendum in terris.

Franciscus Tontulus Episcopus Isclanus.

Abundante nequitia, dum in hoc mundi senio pietas refrigerat, opportunè accidet, Beatissime Pater, vt Sanctitas Vestra frigidis fidelibus venerandum proponat exemplar feruentissimæ charitatis, & inuictæ fortitudinis Antistitem, qui in militanti Ecclesia bonum certamen certauit, triumphanti Cœlituum numero adscribat; vt inde sanctissimi Præsulis merita, & præclara virtutum exempla considerantes, habeant oues quem sequantur, Pastores quem imitentur.

Patritius Donatus Episcopus olim Minoren.

Beatissime Pater: Quemadmodum in Cœlo noua paulatim Astrorum phænomena apparent, quò mortales ad cœlestia diligentius indaganda excitentur; ita par est in Ecclesia, quæ Cœlum repræsentat, noua Sanctorum lumina in dies effulgescere, & innotescere, vt fideles ad sanctitatis gloriam, sibi sedulo parandam inflammentur; præsertim Episcopi, quorum vti dignitas, ita exemplum est Ecclesiæ munimentum. Itaque merito Sanctitas Vestra in Sanctorum numerum referet, omnibusque venerandum simul, ac imitandum proponet Beatum Thomam à Villanoua, ex Diui Augustini familia Archiepiscopum Valentinum, qui more splendidissimi syderis illuxit; siue miracula spectentur, siue virtutes; ac in primis religio, & humilitas in colendo Deo; prudentia, & iustitia in grege pascendo, constantia, & continentia in se ipso moderando, patientia in malis tolerandis: Quarum tamen virtutū maxima & verè admirabilis fuit Charitas in pauperibus, hoc est interiore Christi familia subleuanda. Et constantissimè teneo, quod omnipotentis Dei consilio factum sit, vt tantæ sanctitatis promulgatio præcipuè pertineat ad Beatitudi-

nem

nem Vestram, cuius Pontificatus primarium arcanum est, consulere Christi pauperibus, tanquam solidissimis Ecclesiæ Catholicæ fundamentis.

**Marcus Antonius Thomatus Episcopus
Bitecstē.**

Iustum est, tuoquē dignum Pontificatu, Pater Sanctissime, ut Beatum Thomam à Villanoua Archiepiscopum Valentinum pro tradita tibi potestate Cœlitum albo adscribas, ut eius gloriam nunciet Ecclesia, cuius laudes vnanimi consensu omnes populi enarrant. Admiranda siquidem in eo humilitas fuit, ardentissima erga Deum charitas, inexhausta in elargiendis eleemosynis profusio, indefessa Pastoralis sollicitudinis vigilantia, constantissima sanctimonix fama ad hunc usque diem per integrum sæculum propagata, crebrisquē, & exploratissimis miraculis comprobata. Tanto igitur Antistiti Sanctorum honorem decernens, rem facies, Beatissime Pater, toto Orbi Christiano gloriosam, & horum temporum necessitatibus maximè opportunam, ut qui in diebus suis placuit Deo, fiat nunc pro populo Dei reconciliatio.

**Carolus de Vecchijs Episcopus Clusinus Sacr.
Concilij Congregationis à Secretis.**

Admonet me proprij muneris ratio, Beatissime Pater, ut ad cœlestes honores Beato Thomæ Archiepiscopo Valentix decernendos, suffragium aliunde, quàm ex Tridentino Concilio deriuatum non feram. Inchoatam ille Tridentinam Synodum, non absolutam vidit. Absolutam tamen optimi Pastoris formam, priusquam Tridentini Patres sancirent verbis, Thomas firmavit exemplo, & anticipata executione decreta Patrum præoccupauit, & vota. Meritò igitur Sanctorum Concilio adscribendus est ille, qui Apostolicæ Reformationis Concilium priusquam absolueretur, in se absoluit.